

De difficultate improvisa

Duos ante annos conventum magnum Cantabrigiae institui in memoriam illius professoris cancro morti sub cuius auspiciis dissertationem doctoralem scripersam. Cum multos mathematicos celeberrimos ex toto orbe terrarum illo conventui interfore scirem, iterum atque iterum mecum volutavi num omnia essent bene parata, sperans fore ut nulla difficultas subito exoritura esset.

Cum ille conventus tantum die Lunae inciperet, nos antea familiam Davidis qui Mancunii habitabat visitaturos esse constituimus. Pro dolor vidulus Davidis haud nobiscum in aeroportum Mancunii advenit: societate aeronautica consulta vidulum nostrum verisimile Melitam missum esse comperimus. Sed non esset sollicitandum: vidulum proximo die domum parentum adlatum iri. Itane?

Proximo die nullus vidulus comportatus est, sed pro eo nuntium a illa societate accepimus quod vidulus noster nusquam inveniri potuit: sed hoc problema quam celeriter posset solutum iri. Paene omnibus vestimentis destitutus David celeriter novas vestes emit, ne braxis matris suae vestitus (staturae suae omnino haud aptis) orationem inter conventum haberet.

Proximis diebus millenis negotiis conventus obstricti iterum atque iterum eam societatem aeronauticam appellavimus, nec bis idem nuntium accepimus: modo vidulum Melitae, modo Turici esse, modo nondum repertum, modo in itinere Cantabrigiam. Quisque interlocutor se nos mox iterum appellaturum esse promisit cum sciret quando ille vidulus ad nos mitteretur: nec unus eorum quidem illud promissum servavit.

Saepe interlocutor vidulum amissum non in dictione sua esse dixit et nobis numerum telephonicum dedit collegae cuiusdam qui sine ullo dubio nobis auxilium ferre posset. Taedio captus David diagramma eorum numerorum telephonicorum quos hoc modo accepimus construxit, et profecto in circulo profecti sumus: post duos dies iterum ad eum numerum telephonicum advenimus unde in initio quaesitionis nostrae profecti eramus.

Omne spe delata et abiecta post quinque dies nuntium accepimus quod vidulus noster denique Melitae repertus tunc in itinere Londinium esset unde proximo die Cantabrigiam mitteretur. Pro dolor proximo die Cantabrigia nobis erat relinquenda. Societate aeronautica iterum appellata interlocutor vidulum nostrum Londinio Turicum missum iri proposuit. Vehementer illud consilium recusavimus: quis sciret ubi vidulus tunc veheretur? Denique interlocutori persuadere nobis contigit quod vidulus ad parentes Davidis mitteretur. Diis gratia sine alio circuito vidulus domum parentum comportatus est ubi eum post annum recuperavimus.